

Haren, Martin

Quod Felix Faustumque esse jubeat / SS. Trias! / Dissertatio Philologica

De Toga & Sago

Quam Sanctissimo Moderante Numine, Sub Praesidio M. Johannis Georgii Eileri, Os-naburgensis, Habebit Martinus Hahren, Ravensb. Westf. A. & R.

In Auditorio Veteri, D. XXVII. Maji, Horis antemeridianis, Anno χριστογονίας M.DC.LXXI. Wittenbergae, Literis Matthaei Henckelii, Acad. Typogr. Anno M.DC.LXXI

2

Συν θεοῦ παλάμη

Magnam esse Romanarum Antiquitatum dignitatem utilitatemque, nemo, qui saltim per transennam intimiora solidae Eruditionis inspexit palatia, facile inficiabitur. Ex bis enim in omni Doctrinarum genere magnum promanat adjumentum ornatumque. Quod demonstraremus oppido, nisi φῶς ἤλιφ δαίξειν videremur. Desumta quippe ex iisdem est vestimentorum, quibus Romani veteres, Pacis Bellique tempore usi fuerunt, delineatio: Quaecum ad veram veterum Scriptorum penitiorum faciat intelligentiam: proposuimus nobis in praesenti de Toga & Sago incorruptum edere specimen. Quoniam vero sine cortice natate paucis aut nullis datum est, praestantissimos probatissimosque Latinitatis, in hoc quidem, quod calcamus itinere, assumemus Comites conciliatoresque, ut eo modo atque medio rite atque recte scopum assequamur nostrum. Faxit Numen Bonitate optimum, Potentiaque maximum, ut omnia cedant facilliter, atque feliciter!

SECTIO I.

TOGAE Apparatum exhibet.

SUMMARIA.

Togae descriptio generalis et specialis. Etymon. Ejusdem inventor. Materia. Forma semi-circularis, rotunda, atque quadrata. Mensura quoad longitudinem. Species ejus: (1) quoad vestitum puerilem: ut Toga praetexta. (2) Quoad virilem: ut Pura, Candida, Sordida, Picta, Purpurea, Palmata, eaque triplex: Capitolina, Triumphalis, et Consularis. Purpurea, Trabeata, Papaverata, Undulata, Phrygiana, Scutulata, Pulla etc. (3) quoad muliebrem, ut: Praetexta, Toga, communis, Stola, atque Pulla.

§. I. Quemadmodum vestium Luxuria aegrae civitatis indicium est, ut Romanus loquitur Sapiens Epist. CXIV; Ita Romani diligenter legibus caverunt, ne quicquam subditi contra eas committerent, honestaque loci consuetudine neglecta, vestitum atque mores immutarent. Nisi enim id factum fuisset, paulatim atque latenter, rerum omnium depravatio incepisset, ipsaque Respublica abusu rerum perisset funditus. Quam ob rem certos deprehendimus vestimento

3

rum ritus atque modos, ab Antiquitate Romana sancitos, quibus statis temporibus in Pace atque Bello, usi fuerunt. Eum cum primis in finem, ut discriminis dignitatisque causa sexus a sexu, natio altera ab altera; status item unus ab altero, officiaque ab invicem distinguerentur. Exhibebit utriusque apparatus *Toga Romana*, quam ita illustramus.

§. II. *Toga* juxta *Ascon. Paedianum* in tertia Verr. est Habitus communis & marium, & foeminarum, ita, ut Praetexta est honestiorum, communis vero viliorum. Quae descriptio, quia justo videtur generalior, *Cornuti* atque *Wolffgangi Lazii* huic praefereamus. Videlicet: Toga est vestimentum purum, forma rotunda & fusiore, inundanteque sinu sub dextera veniens, super humerum ponitur sinistrum, cujus mensura justa senas habebat

ulnas. Vel: Toga Romana ejusmodi fuit Habitus sine manicis ad talos usque demissus, qui humeris sine difficultate injici poterat.

§. III. *Togae* si spectes Etymon, a tegendo deductum est. Quia enim eadem corpus tegit, atque operit, inde suam sortita est denominationem. Quemadmodum *Varronis, Pomponii* lib. CLXXX.D. de Verb. Signific. aliorumque Testimonia, sufficienter declarant. Eosdem adscribit *Togae natales Cornutus in Persii Satyr.V.* cum ait: Toga dicta est, quod velamento corpus humanum tegat, operiatque.

§. IV. Non a Romanis, sed a Graecis Toga est inventa. Teste enim *Septimio Floro*, ea a Pelasgis ad Lydos primum, a Lydis postmodum ad Romanos venit. Etsi enim Graecorum ornatus Pallium fuerit, nihilo tamen minus Romanorum Togam ab isthoc non multum diversam, reliquisque vestimentis circumjectam fuisse, autor est *Artemidorus* lib. II. de Insomniis. Verba ejus haec sunt: Eadem significat Vestis Romana (Toga) quam nunc Tibennum vocant, a Timeno (rectius juxta Turnebum lib. IIX. c. 20 Adversar. Tibennum pronunciamus) Arcade, qui primus suam chlamydem hoc modo circumdedit, cum per sinum Ionicum navigasset, & ab his, qui isthic habitant, susceptus esset, a quo indigenae edocti, eodem modo praeparaverunt, & vestitum Tibenicum vocarunt, a Tibenno inventore. Haec causa est, cur nonnunquam apud autores Τηβεννος Toga Romana dicatur.

§. V. Nolumus vero hic cum quopiam litigare, quam ob impulsivam. *Togae* Tebenni competat Onomatologia. Ipse enim *Dionysius Halicarnassaeus* lib. III. ignorare se fatetur, cur id nominis ipsi

4

impositum sit. Conferantur *Johannes Meursius* in *Curis Criticis* parte II. c. 31 aliique. Neque cum alio disceptare, utrum Τίβεον & Τίβεος an vero Τήβεον & Τήβεννος legendum sit. Quamquam posterior lectio autoritatibus stipata atque munita nobis ardeat. *Hesychius* quippe, pro nostra militans sententia, dicit: Τήβεον εἶδος περιβολαίου παρὰ Ρωμαίους i.e. Tebennus (fuit) species vestitus apud Romanos. *Halicarnassensis Dionysius* a nobis modo laudatus, loco citato haec nobis suppeditat: Ρωμαῖοι μὲν Τόγας, Ἕλληες δὲ Τήβεον καλοῦσι i.e. Romani quidem Togas, Graeci vero Tebennum appellantur. Videat hac de re fusius, qui vult disserentem Rosinum Antiquitat. Roman. lib.V. Paralip. ad cap. XXXII. Sed potius Materiam ejus adumbrabimus. Scilicet *Togae* Materia fuit lana. Sicut enim Vestimenta omnia vel ex linteo, lana &c. comparantur, ita Toga quoque ex lana confecta fuit. Martialis quippe plus vice simplici hoc asserit nec non *Varro*, dum scribit: Toga lanea est, quod de lana multa, atque duarum instar Togarum fuerit.

§. VI. Forma ejus primum semicircularis fuit, deinceps rotunda, & ut alii volunt: ultimo quadrata. Duas priores species in usu apud Romanos fuisse, suo approbant calculo, *Quinctilianus, Dionysius, Halicarnas., Isidorus* & alii: Posteriorem vero his indicat verbis *Atheneus: Romani in Asia*, ut vim *Mithridatis* effugerent, ad templa confugerunt, et quadratis vestimentis abjectis, pallia (i.e. Togas, disserente Cic. *Orat. pro Post.) sumserunt*. Verum praevalet *Dionysii* aliorumque autoritas. Is enim expressis edocet verbis, eam, non quadratum amictum, sed respectu formae semicirculare fuisse. Cui adstipulatur *Aldus Manutius*, quem videsis. Si quis tamen statuere velit, pro diversitate temporum, Togam fuisse semicircularem, postmodum rotundam, ultimo denique quadratam: nos non habebit refragantes.

§. VII. Mensura item *Togae* haut una eademque fuit. Nam distinctae eaedem apud Romanos, cum ratione personarum, tum ratione status atque dignitatis fuere. *Horatio* Epist. IV. justam *Togae* mensuram sex ulnas habuisse, his indicat verbis:

Videsne sacram metiente vitam.

Cum bis ter ulnarum Toga &c.

Quinctilianus priorem *Togae* partem mediis cruribus, posteriorem vero eadem proportione terminari asseverat. Qui & ipse testis est,

5

eam florente Romana Repub. longiorem, & ad talos usque demissam fuisse. Lib. II. cap. III. breviorē describit, eamque nullos habuisse sinus, affirmat. Audiamus Tullii nostri de *Quintii Tribuni Plebis Toga Praetexta* in Cluentiana iudicium: *Facite, ait, ut non solum morem ejus, et arrogantiam, sed etiam vultum atque amictum, atque illam usque ad talos demissam purpuram rejiciatis.* Procul omni dubio respexit ad insignem *Platonis* in *Alcibiade* locum, quod videlicet vestis admodum brevis sit sordium argumentum: ad talos autem demissa, vitae delicatae dissolutaeque signum.

§. IIX. Tametsi ejus Vestimenti paucae admodum vel nullae prorsus reliquiae hodie-
num supersint, nisi, quod Venetiarum Urbis Senatorum Habitum, si manicis careret, ad
Togae Veteris formam quam proxime accedere arbitretur *Wolfgangus Lazius* Comment.
Reip. Rom. Lib. IIX. cap. VII. Proderit tamen pro ratione instituti nostri de variis Togae
generibus, sive speciebus disseruisse. Videlicet de praetexta, *pura, candida, sordida,*
picta, purpurea, trabea, palmata atque *pulla seu lugubri* &c. Quae species haut
incommode sub distinctione aetatis, dignitatis atque sexus considerari poterunt.

§. IX. Rem, dum ab ovo, quod ajunt, enarramus, a *Praetexta* facimus initium. Ea
enim propria erat puerorum atque adolescentum Romanorum, ea de causa fortassis illis
concessa, ut ex purpurae rubore ingenuitatis, ut *Macrobius* & *Pierius* loquuntur regerentur
pudore. Hanc equidem usque ad annum Tyrocinii gestabant: sed quis iste annus fuerit,
inter autores non convenit. Pars, ad annum XV.; pars ad annum XVI., vel XVII. referunt.
Licet autem prior sententia suos habeat Patronos; posterior tamen veritati magis litare
videtur. Nam *Suetonius* cap. IIX. de *Augusto* memorat, eum sexto decimo aetatis anno,
Virilem sumsisse Togam, donis militaribus, atque triumpho Caesaris donatum esse.
Conferantur ea quae *Tacitus* lib. XII. Annalium de maturata Neronis Toga Virili adnotavit.
In assumenda Virili Toga sollemnis instituebatur ritus, quem ita ex aliis adducimus.
Parentes vel naturales, vel adoptivi filios, (quos *Plinius*, *Quinctilianus* & alii Tyrones
appellitasse testantur.) in templum ducebant, ibique exhibito majorum more denario, in
aede juventutis sive Libitinae, Togam Virilem praesentibus Diis, h. e. ante altaria
induebant. Unde *Propertius* lib. IV. Eleg. I.

6

Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo
Matris & ante Deos libera sumta toga est.

Ex aede sacra reducebantur in forum, stipati tota clientum, amicorumque caterva, atque
Senatorum Procerumque Reipubl. fidei a Parentibus commendabantur, quibus peractis,
cum gaudio discedebant, domumque se conferebant. Suam *Praetexta* a Praetexendo
sortita est denominationem. Etenim, referente *Macrobio*, ita dicitur, quod purpuram
habuerit intextam, Graecique scriptores περιπρόρφυρον h. e., circumquaque habentem
purpuram, appellitarint. Idem *Macrobius* ex *Agellio*, qui *Papyrium* adolescentem a
Praetexta cognomen suum accepisse docet. Quod tamen suo relinquimus loco.

§. X. *Toga Pura*, quae altera ejus est species, inde dicta est, quod nullo Purpurae
praetextu distincta esset. Induebantur ea adolescentes prima Tyrocinii die, qua de in
praecedenti egimus thesi, cum *praetextam* prius publice removissent. Ejus meminit lib.
IIX. *Plinius*, qui ait: *Primam texuit rectam tunicam*, qua simul cum Toga pura induuntur
Tyrones, novaeque nuptae. *Eloquentiae* item *Romanae Parens* Epist. IV. ad Atticum
scribit: *Ego meo Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpini potissimum Togam puram*
dedi, idque Municipibus nostris fuit gratum. Et iterum lib. V. ad eundem Epist. XX. dicit:
Quinto sororis tuae filio Togam puram jubeo dari. Quo facit etiam locus Catulli ad
Malleum:

Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est.
Jucundum cum aetas florida Ver ageret.

Dicta autem fuit *pura*, λευκός alba, sed ad discrimen *praetextae*. Etenim, quia constabat
ex colore puro, nulla admixta purpura, simplex atque purum dicebatur vestimentum. Dici-

tur alias Virilis, quod nonnisi a Viris induta sit. Videlicet ab iis, qui pueritiae annos jam egressi, aetatisque firmioris affectabant licentiam. Dicitur libera, quod omnis honesta libertas, quae aliorum erat civium, iis concederetur, qui eam induerent. *Ovidius* causam hujus rei redditurus lib. Fastor. 3. ita canit:

Restat, ut inveniam, quare Toga libera detur,
Luce geri pueris, candide Bacche, tua.
Sive, quod ipse puer semper juvenisque videris,
Et media est aetas inter utrumque tibi.

7

Seu, quia tu pater es, patres tua pignora, natos
Commendant curae Numinibusque tuis.
Sive, quod es Liber, vestis quoque Libera per te
Sumitur & vitae liberioris iter.

Quamobrem dies mutatae vestis Liberia in Fastis appellata fuit. Dicitur etiam Civica, vel civilis, seu communis a Plutarcho, quia usurpata eadem est, a tota communitate.

§. XI. *Candidam Togam*, si historiarum monumenta consulimo, illi adhibebant, qui ad honoris ἀκμὴν seu culmen aspirabant, seu quod eodem recidit; Candidatorum ea erat propria. Hodienum autem proverbialiter illi candidati salutantur, qui munia ambiunt. Erat enim *Toga Candida* modestae petitionis signum, atque adhibebatur toties, quoties eminentiorem superioremque quandam dignitatem anhelabant. Candidati quippe honoris, secundum morem in populo Romano usitatum *Togam* assumebant *candidam*, atque in colle considebant, ut coram ab universis videri possent. A *Polybio* dicitur λαμπρός splendens seu splendida, procul omni dubio a nitore atque candore. Candidus quippe color proprie est splendens, atque ab arte; albus vero nativus, atque ab alba lanae natura dicitur. Conferat qui vult *Livium* lib. IV. & *justum Lipsium* lib I. Elector. cap. XIII. Insuper *Livius* lib. VII. Dec. III. ejus meminit his verbis: *egregium par consulum fore, si M. Claudium, C. Claudio Collegam adjunxissent*. Nec populus mentionem ejus rei ortam a patribus esset aspernatus. Unus eam rem in Civitate is, cui deferebatur honos, abnuebat, levitatem cicitatis accusans, sordidati rei non misertus, *Candidam Togam* invito offert. Alludit ad haec verba Prudentius in *Symmach.* lib. III. dum canit:

Exultare patres videas, pulcherrima mundi
Lumina, Conciliumque senum gestire Catonum
Candidiore Toga, niveum pietatis amictum
Sumere, & exuvias deponere Pontificales.

§. XII. Dum *Sordidam* contemplamur *Togam*, illam a *Candida* & *Pulla* distinctam reperimus. Etenim illa non atris, ut vult *Sigonius*, ab aliis proinde notatus, sed albi fuit coloris. Quippe, quae usu longo attrita atque maculata sorditiem induit, unde & sordida seu absoleta nuncupata. Utebantur istis inferioris conditionis homines extra luctum Indies, diebus festis solennioribus & laetioribus exceptis.

8

Quomodo intelligendus etiam locus *Plautinus* in *Aulular*: *Qui vestitu et creta se occultant, et sedent quasi frugi*. Videlicet spectat ad istos homines, qui ex inopia rerum vestem mutare non poterant, togulam suam creta lavarunt. Ditiores vero pro lubitu & libitu, elegantiori & nivea incedebant ornati toga, quae si forte macula quadam esset contaminata a *fullonibus*, oppido creta atque sulphure eluebatur. Insignis hac de re extat locus apud *Livium* lib. VI. Viros, scribentem, *illustres atque nobiles, reos criminis factos, niveam diebus judicii deposuisse Togam, atque sordidam assumsisse, ut in plebeja veste essent miserabiliores*.

§. XIII. Ad *Togam* nunc progredimur *pictam*, quae *Etrusca* vestis, purpureique coloris erat. *Picta* vero dicta est, quod in ea figurae ita effingerentur, quae ad picturae accederent similitudinem. Fuit haec summi Magistratus ornamentum, ad triumphantes

perinde ut palmata, quam mox subjiciemus, relata. Usus primo *picta* est *Triumphali* Tarquinius Priscus. Postquam enim, referente *Floro*, Thusciae populum sub jugum atque potestatem suam redegisset, eam transtulit Romam. Disserit de eadem *Picta Tacitus Annal.* lib. IV. cap. 26. § 4. *Cognitis dehinc Ptolomaei per id bellum studiis, repetitis, ex vetusto more honos, missusque e Senatoribus, qui scipionem eburneum, Togam pictam, antiqua Patrum munera, daret, Regemque et socium atque amicum appellaret.*

§. XIV. Adfinis *Pictae Palmata* est *Toga*. Quippe quae non diversitate vestis, sed pictura, nobilitateque ab invicem differebant. Nomen adepta est a *Palma* sive *Victoria*. Cum enim *Palma* victoriae plerumque signum habeatur, *Palmata* inde suam traxit denominationem. Quam ob causam *Manutius Palmatam* depraedicat, eo, quod concinne *palmis* undiquaque pictis ornata, atque triumphantibus tanquam insigne victoriae collata sit. Non multum hoc vestis genus diversum erat, ab hoc serici genere (si fas est egestatem nostram cum Romana conferre magnificentia) quod *Damascenum* nostrates vocant. Caeterum fuit *Palmata* distincta in *Capitolinam*, *Triumphalem*, & *Consularem*. *Capitolina* dicta fuit a loco, in quo asservabatur, atque Imperatoribus seu Victoribus offerebatur. Commemorat de ea *Flavius Vopiscus in Historia Probi: Nos tibi, ait, decreto totius Orientis Ducatu, salarium quintuplex fecimus, ornamenta militaria geminavimus, Consulatum in annum proximum nobiscum decrevimus. Te enim manet pro virtutibus tuis Capitolina Palmata. Triumphali Palmatae nihil, nisi illud Ausonii in Panegyrico addimus: Videlicet, vestem Palmatam in pace Consulium, in victoria vero triumphantium fuisse, propriam.*

9

De *Consulari*, *Sidonius Apollinaris*, *Ricinoris* describens nuptias lib. I. *Epistolarum*, haec nobis communicat: *jam quidem virgo tradita est, jam coronae sponsis, jam Palmata Consularis, jam Cyclade pronuba, jam Toga Senator honoratur.* Eadem a *Prudentio* lib. I. in *Symmachum*:

--- *Palmata insignis Abolla nuncupatur.*

§. XV. Ne vero *Togam Purpuream* silentii supparo siparioque involvamus, paucis eam adducemus. Autores quippe illam constituunt duplicem; ὀλοπόρφυρον alteram, alteram περιπόρφυρον. Illam, totam contextam, sine ullo alio colorum genere limbo plane carentem, Regum faciebant ornatum. Nonnunquam ea, instar magni muneris *Viris excellentibus*, ob res praeclare domi forisque gestas offerebatur. Videsis *Dionys. Halicarnass. lib. VI. Eunapium Sardonium*, de vitis *Philosoph. in Juliano* ad finem. Hanc vero, purpura saltim circumsutam equestri adscribunt ordini. Conferantur Autores citati.

§. XVI. Ad *trabeatam* progredimur *Togam*, quae *purpura* erat circumdata, subtegmen habens puniceum, aurea connexum fibula. Ad quam respiciens *Vergilius lib. I. Aeneid.* canit:

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Triplex ea constitui solet: *Prima*, quae Diis consecrabatur, atque e sola constabat purpura. *Secunda* erat *Regia* atque *Consularis*, quam *Ausonius* in gratiarum actione pro Consulatu his prosequitur verbis: *Qualis ad me Trabeata mittatur, interrogas? Te coram premi jubes. Tertia*, ex inter texta purpura & cocco constabat, auguribusque, dum auguria captabant, permissa. Qua de egit *Dionysius Halicarnass. lib. III.*, qui eam ad περιπόρφυρον, puniceo colore alternatim intertextam, refert. Videantur de singulis, *Elias Vinctus, Lazarus Baystus, & Wolffgang. Lazius*, *Comment. Reip. Rom. Lib. IIX.*

§. XVII. Aliae insuper in usu apud Romanos fuerunt *Togae*, quas tamen his recensitis rarius gestarunt. Inter istas primum sortitur locum *Papaverata*, indubie a colore ita dicta, atque *Isidoro* teste, graviter pressa, & calcata erat. Opponitur huic *Ralla*, quam laudatus *Isidorus Rasilem* interpretatus est *Tunicam*. Dicta fuit *Ralla*, pellucida tunica, spissae atque densioris materiae, quae totum obtegebat corpus, atque a frigoris tuebatur injuria. Confer si vis, *Trebell. Pollionem in Celso, Nonium Marcellinum lib. XIV. num. XIV.* Cum qua coincidere volunt alii, *Coam*. Videatur *Solinus lib. XIII.* Deinceps *Undulata* ab aliis *Ungulata*, nescio, unde

10

sic dicta. *Plinius* eam a *Caja Caecilia* in aede *Fortunae* primum contextam fuisse, autor est. Unde factum alii existimant, ut nubentes Virgines ad exemplum *Caeciliae* comitaretur colus fusus cum stamine: inde *Soriculata* sive *Sororicula* orta est. Togam *Sericulatam*, quae ex serico conficiebatur, ad Togam *pictam* alii referunt. Togam *Phrygianam* sive *Rasam*, Augusti Imperatoris tempore coepisse scribit *Fenestella*. *Scutulata* denique a signis variis, variisque picturae generibus, suam habet Onomatologiam; quae tamen omnes, ad praedictas Togarum species haut incommode referri possunt.

§. XIX. Consideratis hucusque marium vestimentis, *extra luctum*, juvabit, una alteraque adnotasse linea, eorundem *in luctu* vestitum. Is equidem fuit *Toga Pulla*, ab atro dicta colore, luctusque causa a Viris induta. Sicuti enim color albus, apud cultiores gentes laetitiae signum adnotante *Ferrario lib. I. de re Vestiar. d. XXII.*; Ita vice versa, niger color semper luctus indicium fuit. Cujus rei fidem facit *Servius ad lib. XI. Aeneidos*, qui hunc etiam ritum atque morem, gerendi vestes atras in luctu, *Aegyptiis* adscribit. Conf. & *Pierius in Hieroglyph.* Adducimus insuper testimonii loco Ciceronem *Orat. in Vatini*. disserentem: *Qua, inquit, mente fecisti, ut in epulo Quinti Arrii, in Toga Pulla procumberes?* In funere Augusti Tiberius ac Drusus *Φαῖν σολήν τὲ ἀγοραῖον τρόπον πεπονημένον εἶχον*, sive: *Pulla veste* ad forensem modum amicti leguntur. Quamobrem, teste *Dione*, lib. LV. ad nuncium e Pannonia allatum de obitu *M. Antonii Philosophi*, confusa, luctu publico, Urbe, Senatus in Curia *veste atra* amictus, lacrymans convenit. Ridicula est Historia, quam III. *Saturnal.* cap. XV. de *Marco Crasso* *Macrobio* recenset. Is enim, cum muraenam in piscina mortuam audiisset, *atratus eam* haud secus ac filiam luxit.

§. XIX. A *Sexu Digniori ad Sexum transimus Sequiorem*. Etenim non tantum pueri, sed etiam puellae ingenuae, *Togis Praetextis* ornatae fuerunt. Gestabant quippe *Praetextam Togam* foemellae, usque dum nubarent, perinde atque pueri, donec ad Tyrocini pervenissent annum atque Virilem assumssissent. Quam in rem producimus ipsum *Eloquentiae Romanae Parentem Orat. III. in Verrem*, dicentem: *Eripies puellae Togam praetextam*. Et *Festum*, haec de suo nobis conferentem: *Nubentibus (foemellis) depositis Praetextis, a multitudine puerorum obscaena clamabantur*. Foeminae autem reliquae & maritatae, etsi Togas etiam usurpabant, nihilo tamen minus modestiores honoratioresque ma-

11

tronae, loco *Togae*, *Stolas* gestabant. Quam ob causam *Ulpianus* muliebri sexui *Stolas* sive *Institas* solum attribuit. Erat vestimentum usque ad imos demissum pedes, ab extrema parte assutum. *Tert. Varro lib. VII. de lingua Latina*, dum *Stolam* foeminis adscribit, *in vestitu*, ait, *cum dissimilima sit Virilis Toga, Tunicae mulieris stola pallio, tamen inaequalitatem hanc sequimur*. Vestigia ejus extare videntur adhuc in Gallia & Belgio. Ubi Matronae honestiores atque ditiores, *Stolis* ex serico confectis, in publicum prodeunt.

§. XX. Deinceps & hoc annotandum est, foeminas priscis temporibus, tempore luctus, *Pullis*, hoc est, atratis & lugubribus vestimentis amictas incessisse. Quem quidem ritum a primis Reip. incunabulis, cum Viris communem habuerunt foeminae, sicut hoc constanter in Viris observavit *Justus Lipsius ad II. lib. Annal. Taciti*. Videatur de foeminis *Dionys. Halicarnass. lib. IIX*. Cujus verba ita habent: *Romanorum Matronae, ut mos est illis in luctu domestico et necessariorum deposito auro et purpura, caeteroque ornatu, ut atratae ipsum per annum integrum luxerunt*. Vide *Varrone lib. III. de vita P. Rom.* cum *Pullis* foeminas in funo prodiisse, asserentem. Ex eodem ritu *Ovid VI. Metam.* de Niobe canit:

--Stabant cum vestibis atris.

Ante toros fratrum demisso crine sorores.

Sub Imperatoribus vero Romanis; postquam florida Reip. facies obnubilata esset, *albis* foeminae in luctu usae sunt *vestibus*. Sperti enim post varia colorum genera color albus coepit, adeo, ut sexus sequioris fuerit nota. Confirmat assertum, *Herodiani* in funere

Severi Imper. dictum: αἱ γυναῖκες λιτὰς παρεσθήσας λευκὰς ἀμφιεννύμενας σχῆμα παρέχουσι λισσοῦμενον. Confer. *Statium in lacrimis Hetrusci*:

Huc vittata comam, niveoque insignis amictu
Mitibus exequiis ades.

Quem ritum hodiernum, in quibusdam Germanicae locis muliebris sexus retinuit, albis in luctu peplis vittisque involutus. Conferantur ea quae de albo mulierum consignarunt vestitu *Plutarchus Rom. Qu. XVI. Stuckius lib. II. Antiq. fol. 235. Joh. a Pineda Comment. ad Cobelet c. IX. u. 8. & prae reliquis, Magnificq. Dn. D. GEIERUS in Tractatu de Ebraeorum. luctu cap. V. et XXII.* Qui, cum ad unum omnes luculentissime rem prosecuti sint, Croesi divitiis teruncium addere nolimus. Et haec de Toga.

SECTIO II. DE SAGO.

SUMMARIA.

Exhibet Vocis Sagi considerationem, Descriptionem, Distinctionem, per quam a Chlamyde, Paludamento, Lana atque Lacerna discernitur. Specierum item enu-

12

merationem, u. g. Trabeati Virgati, Aurei, Purpurei, Rubei sive Rusci, Fibulati atque Candidi, & denique utriusque Vocis Togae sc. et Sagi significationem.

§. I. Quemadmodum duo vitae humanae sunt tempora, *Pacis* aliud, aliud item *Belli*; Ita pro diversitate utriusque diversis Romani usi fuere Vestimentis. Togis quidem tempore Pacis in urbe: Quibus de in praecedenti Sectione fusius disseruimus. *Sagis* autem illi, qui Martis castra secuti sunt, eum in finem, ut in dimicando aliaque negotia bellica subeundo, expeditiores essent promptioresque. Quibus de, pro ratione instituti, etiam nunc disserendi ansa datur.

§. II. In investiganda *Sagi* etymologia, non est, ut prolixi simus. Etsi enim *Strabo*, & qui eum sequuntur, vocis originem Gallis adscribant, quibus dicatur: *Sayon* vel *Cotta*, nobis tamen in praesenti sufficit, *Sagum* civitate Latina donatum esse, quod Graeci *Ephestidem* vocarunt. *Lazius lib. IIX. cap. IX. Sagi* nomen atque morem apud *Hungaros* atque *Turcas* in usu esse asserit, quique adhuc hodie a *Sago*, *Sacconem* appellitent. Hoc saltem indicasse juvabit, in tribus *Sagi* vocabulum usurpatum reperiri generibus, Masculino sc. Foeminino, atque Neutro. *Africano* arridet Masculinum, qui *quadratos* fuisse *Sagos* affirmat. *Cato* in foeminino illud usurpavit genere, cui adstipulatur *Ennius* his verbis:

SAGAS caeruleas - - - -
Purpureis geminavit pampinus uvis.

Verum potior est *Ciceronis*, *Livii*, *Horatii*, *Suetonii*, *Ammiani*, aliorumque classicorum auctoritas, qui ad unum omnes *Sagum* in Neutro usurparunt genere. Sufficiat nobis in praesenti, unum adduxisse *Ciceronem*, qui *Orat. Philipp. XIV.* dicit: *Ad Saga ire, & redire ad Togas.* Item: *Sagum sumere &c.* Cujus testimonio, ut alia taceamus, duo priora genera exploduntur. Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ.

§. III. *Sagum* describi solet, quod fuerit militare vestimentum, armis superindutum. Clarius describitur, quod sit vestimenti militaris genus principale, perbreve & succinctum non fluens, sed artus undique exprimens, plerumque super arma injectum. Quod usurpatum fuit a Romanis Gallis Hispanis & Germanis, juxta *Suetonium* in *Othone Ciceron. lib. VII. Famil. J. Caesarem de Bello Gallico, Livium, & Tacitum de Germ. moribus.*

§. IV. Cum in descriptione, *Sagi*, tanquam Vestimenti militaris principalis mentionem fecimus, haud difficulter elici inde potest, alia etiam indumenta militaria extitisse. Cujusmodi sunt: *Chlamys*, quae

13

erat Vestis militaris, & quidem vel *picta*, *purpurea* atque *Limbata*, qua ornati erant in bello Praefecti; *Sago Chlamys* autem, propria gregariorum erat militum. *Paludamentum Chlamyde* brevius erat, docente *Rosino*, fuitque proprie Habitus Imperatorum sive Ducum atque Tribunorum, non solum purpura, sed etiam cocco, auroque distinctus, ut volunt *Isidorus*, & *Lazarus Baysius*, *Nonius*, *Chlamydem* atque *Paludamentum* confundit, unumque facit indumentum: Sed ex antiquissima autoritate colligimus utriusque vestis diversitatem. Quamobrem etiam Paludamenta inter ornamenta militaria referuntur; *Chlamydes* vero non ite. *Laena*, quasi de lana, Graece *χλαίνα*, vestitus fuit militum, super alia vestimenta indutus. Quam verbo attingit *Maro*, dicens:

- - - Tyrioque ardebat murice *Lana*.

Lacerna itidem militum erat gestamen, quod armis, ut videtur, superinduebatur. Qua *de Propertius*:

Texitur haec castris quarta *Lacerna* tuis.

Penulam denique usurpabant milites ad arcendam coeli injuriam, quam *Horatius* alicubi solstitio nihil prodesse dicit, atque Imperatores nunquam gestasse, *Spartanus* testatur. Quaedam obiter hic notanda est distinctio inter *Lacernam* & *Penulam*. Illa soli milites velabantur; hac vero cum fimbriis longis, urbani utebantur. Unde etiam illi dicebantur *Lacernati*, hi vero *Togati*. Quo respexit *Persius*, Satyra I. scribens:

Scis Comitem horridulum trita donare *Lacerna*.

§. V. *Sagum* proinde, inter recensita genera Principem habebat locum. Illud quippe, sine discrimine, omnibus militibus cum equitatu, tum peditatu, inferioris sc. ordinis erat commune, & raro a superioribus adhibitum legitur. In n. Paludati cum primis incedebant. Videatur *Cicero Philipp. XIV.* ubi *paludamentum* honoris Consularis exercituumque Ducum insigne fuisse, docet. *Sagi* praeterea usum idem annotat Oratione in *Pisonem*: *Togulae*, inquit, *lictoribus ad portam praesto sunt: Quibus illi acceptis, sagula rejecerunt, et catervam Imperatori suo novam praeiverunt. Titus Livius lib. I. Decade III.* de Hannibale loquens, ejusque Humilitatem, exaggerans, haec nobis subministrat: *Multi saepe militari Sagulo operam humi jacentem inter custodias, stationesque militum conspexerunt.* Huc facit etiam, quod *Caesar lib. I. Belli Civilis* tradit: *Quos deprehendit, interfecit. Reliqui coeunt inter se, et repentino periculo exterriti, sinistras Sagis involvunt, gladiosque distringunt, atque ita se a Cetratis equitibusque defendunt.*

§. VI. Consueta Methodo, his praepeditis, varias *Sagi* percensebimus species. Sicuti n. *Togae* suas assignavimus Partes; ita eade via, *Sagi* divisio-

14

nes exhibebimus. Sunt vero: *Trabeatum*, *Virgatum*, *Purpureum*, *Rubeum*, sive *Russum*, *Fibulatum*, atque *Candidum*. *Trabeatum Sagum*, *Aldo Manutio* videtur Habitus Regius & Consularis in militia, quanquam cum *Trebellio Pollione* alii apud Gallos istud saltim in usu fuisse, asserant. Verum *Trebellio Pollio* promiscue ejus usum exhibet in *Galieno*, quem vide. Quo respexit *Aldus Manutius*, dum ex lib. XXXII. *Livii*, Consulem Corcyrae hybernantem equestresque turmas Trabea vestitas, ostendit.

§. VII. *Virgatum Sagum*, Gallicum cum primis fuit ornamentum undique pictum, a felicioris sortis hominibus gestatum, quod his indigitat verbis *Virgilius* lib. VIII. *Aeneid.* - - *Virgatis lucent Sagulis* - -

Sequitur hunc *Polybius* I. II. de Gallorum in Italiam irruptione ita disserens: *His, accedebat splendor et pulchritudo ornamentorum. Quippe tota acies torquibus aureis et Virgatis Sagulis splendebat. Quae aspicientes Romani obstupebant, atque spe praedae vehementius incendebantur.* Suis olim hanc interdixit militibus *Carolus M.* sicuti ex *Aventino* refert B. Chr. *Sturcius lib. de Imperio Germanorum cap. X.* Cum n. Gloriosissimus Impe-

rator, Francos Gallorum *Sagis* Virgatis iisque brevibus indutos cerneret, indignabundus exclamavit: *En liberos Francos! Qui eorum, quos vicere, vestimentum inauspicato usurpant. Quid ista Pictaciola prosunt? Totum corpus non operiunt, maxima ex parte nudum relinquunt, neque a pluviis, ventisque defendunt.*

§. IIX. *Sago Virgato* succedit *Aureum*, quod & ipsum olim Gallorum indumentum erat, aurumque quoad multitudinem intextum habebat, adeo, ut in palaestra nitorem fulgoremque emitteret. Annotavit illud *Polybius* lib. 2. ubi haec leguntur: *Boji quidem ac Insubres auratis fulgebant Sagulis.* Et iterum eodem in loco addit: *His accedebat Splendor et Pulchritudo Ornamentorum, quippe tota acies Sagulis fulgebat. Maro noster dum Camilli pertexit Historiam, qui Roma Gallos pepulerat, VIII. Aeneidos ita eos introducit:*

Aurea Caesaries illis, atque aurea vestis
Virgatis lucent Sagulis: Dum lactea colla
Auro innectuntur, duo quisque Alpina coruscant:
Gaesa manu sentit protecti corpora longis.

§. IX. *Sago Purpureo* vestiti erant in bello Reges atque Duces, eratque vestis ex pura purpura concinne contexta. Refert de ea *Caesar* lib. V. *Belli Civilis*, ubi de Rege Juba agit. Nam cum *Scipio Sagulo purpureo* ante Regis adventum, uti solito esset, dicitur Juba cum eo egisse, non oportere illum eodem uti vestitu, atque ipse uteretur. Ex quo liquet oppido *Purpureum, Aureum Trabeatumque Sagum*, Regum atque Imperatorum ornatum fuisse bellicum. Quomodo in-

15

telligendus est *Livius* Lib. X. Decad. III: Munera, quae Legati ferrent, Regi decreverunt, *Sagula Purpurea* duo, cum fibulis aureis singulis.

§. X. *Rubeum* quod concernit *Sagum*, alii appellant *Russum*, s. *Russeum*, iterum *Rufum*, s. *Rubicundum*; a colore rubro sic dictum. Quod *Pompejus*, *Brutus*, aliique Duces in castris gestarunt. Recensetur haec species a *Flavio Vopisco* in *Probo*, inter dona a *Valeriano Augusto*, *Probo* Imperat. missa: *Huic igitur dari jubebis, quoniam mediocris fortunae est, ut ejus dignitas incrementis juvetur, tunicas Ruffulas duas, pallia Gallica a duo fibulata.* Idem in *Historia Aurelij*, inter ornamenta a *Valerio Aureliano* data, duas Russas tunicas fuisse innuit. *Silius Ital. lib. ult. Sagum rubeum* his adumbrat verbis:

- -Sagulo circumvolitare rubenti Lictorem.

§. XI. A *Sago illustri* ad viliora progredimur, & quidem ad *Fibulatum* s. *Fibulatorium*; quod suum adeptum est nomen a constringendis fibulis, quae ex veste fibulata pendebant. Citatur id *Sagi* genus a *Trebellio Pollione*, in vita *Regilliani Tyranni*: *Memor*, inquit, *cujusdam hominis, cautius velim vincas arcus Sarmaticas, i.e. duo Saga ad me velim mittas, sed ambo fibulatoria, cum ipse miserim de nostris.* Addimus ea, quae de *Fibula* annotavit *Sidonius* in *Panegyrico*, dicto *Anthemio*:

Fibula mordaci refugas a pectore vestes
Dente caput notat.

Et iterum in *Majoriano*:

Ostriculos pepli textus, qua fibula torto
Mordax dente vorat, tum quicquid manna refundit.

§. XII. Denique subnectimus *Sagum Candidum*, quod gregariorum militum stragulum erat ex vulgari factum panno. Annotavit istam, *Plin.* lib. 16. de Visco loquens: *Sacerdos candida cultus veste arborem scandit, falce demetit, candido excipitur Sago.* In quo Historicorum Latinorum Princeps *Livius* l.I. III. Decadis Hannibalem, quoque fortissimum Poenorum Ducem, jacuisse testatur.

§. XIII. Εκ περιουσίας addimus *Togae Sagique* significationem. Quoniam n. haut raro apud autores hae duae voces occurrunt, nostri est muneris, Coronidis loco eam verbo annotare. Significat quippe *Toga* communiter statum pacificum seu pacem. Nam quando Pax apud Romanos florebat, omnes promiscue utebantur *Togis*. *Sagum* vero, quod *Togae* opponitur, haut incommode indicat bellum seu arma. Quae acceptio, ut quilibet videt, est allegorica, atque per Metonymiam signi, cum signum ponitur pro re signata, ita dicitur. Complectitur has duplices Significationes. Cic. I. I. off. & orat. in Pis.

Cedant arma Togae, concedat Laurea Linguae.

Quibus verbis nos etiam in praesenti receptui canimus, Deoque pro assistentia laudes dicimus decentes, donec sit rerum omnium

FINIS.